Lane Medical Library

DE

DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXVII.

H. L. Q S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS STREPPEL

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

HERM. FABRICIUS, MED. ET CHIR. DD.
RICH. VOGEL, MED. ET CHIR. CAND.
HEINR. WESTERMANN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

DIABETE MELLITO.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

HISTORIA MORBI ET NATURA.

Veterum libros si pervolutamus, morbum quendam in eis perscriptum videmus, cujus symptomata cum diabetae symptomatibus plane consentiunt. Qua ex re illud conjicere licet, hunc eis jam notum fuisse. Aretaeus quidem, aegroti, inquit, intolerabili siti dies noctesque vexantur, qua in re magnam urinae copiam secernunt. Quo facto paulatim corpus ait tabescere. Morbo vero procedente dolores in regione columnae vertebrales existere, qui plerumque in nucha inciperent, sed trans dorsum in penem irradiarent inprimisque in mingendo perciperentur. Simili ratione hac de re judicant Galenus et Trallianus.

Complura de hujus morbi natura non apparebant, quum sub finem seculi XVII. medici Anglici haud parvi momenti progressus fecerunt.

Thomas Willis igitur animadvertit, urinam admirabili dulcedine esse et saccharum, quod jam in urina esse opinabatur, nonnullis annis post a chemicis Anglicis per analysin illustratum est.

Qua materia in urina reperta, illa scilicet quaestio

nata est: „unde saccharum originem ducat?“ quae quidem quaestio usque ad haec tempora obscura admodum fuit et mansit, quamquam doctissimorum virorum studium et opera in ea enucleanda versata est.

Proximum fuit, renes saccharificationis incusare; sed non multo post aliter rem se habere apparuit, quum illud intelligeretur, saccharum non a renibus procreari, sed e sanguine secerni. Rollo causam hujus rei in ventriculum retulit. Animadvertit enim ille quidem, in cibis, quos aliquanto post coenam evomi jussisset, saccharum contineri. Saccharum autem ex cibis succo gastrico pathologice commutato secerni.

Non minus etiam Prout sacchari fontem in ventriculo quaerendum esse censuit. Dicit enim: „Diabetes nihil aliud est, nisi dyspepsiae quoddam genus, quapropter alimenta saccharum continentia assimilari non possunt.“ Quae theoria mox deserenda erat.

Deinde diabeten cum inde derivabant, quod amylaceorum in saccharum commutatio vitiose augeretur et acceleraretur, tum a frequenti ciborum saccharum continentium subvectione. Contra haec mox probatum est, nunquam in sano homine saccharum in urina reperiri, licet ei quamvis multi cibi saccharum continentes adducerentur, sed pathologicam quandam rationem et commutationem existere.

Omnibus eis, quas supra dixi, hypothesibus se opposuit Claude Bernard atque fontem et originem sac-

chari in hepate quaerendum esse docuit. Ostendit enim, hepar sedem continuae saccharificationis esse, quod amyli substantia conformaretur, quae fermento a sanguine adducto in saccharum commutaretur. Jam persuasit sibi, hanc saccharificationem perpetuo procedere in nutrimentis et animalibus et vegetabilibus. Saccharum autem non sanguine hepati adduci, sed in hepate ipso conformari. Quod ut demonstraret, in sanguinem venae portarum et venae hepatis inquisivit, quantum sacchari continerent. Qua in re illud probatum est, equorum sanguinem venae portarum 0,055% sacchari habere, hepatis venae sanguinem contra 0,638—0,893%. Bernardi sententiae etsi variis temporibus multum notatae, tamen abhinc paucis annis comprobatae sunt.

Jam sententiae hac in re inter se consentiunt, saccharum in hepate ipso conformari et id quidem ex glycogeno, quod Bernardus item ex hepate per analysin proposuit quodque ab amylo vegetabili nihil differt. Illud enim nitrogenii expers in aqua solvi potest, praebet cum jodo caeruleum colorem et amyli instar haud ita concentratis mineralibus acidis, diastasi vegetabili, fermentis salivae et succi pancreatici in saccharum commutatur. Saccharum autem ex hoc glycogeno haud scio an ignoto fermento adjuvante conformatum vena hepatica in sanguinis circulationem recipiatur in eaque, imprimis in capillaribus, aliis mutationibus subjiciatur.

Ut autem omnes in humano organismo processus sub nervoram dicione sunt, ita Bernardus etiam talem dicionem ad saccharificationem inveniendam sibi censuit. Multis suis et magno cum labore confectis experimentis ad hunc finem pervenit. Nervorum operam, sub cujus dicione saccharificatio procedat, eam ab causam adesse, quod augeatur in animalibus saccharificatio horum solum quarto cerebri ventriculo laeso.

Quae quum ita sint, saccharum in urinam transire atque postea secerni. Ex multis partibus haec comprobata est sententia multisque experimentis locum ostendere conati sunt, cujus laesio diabeten gignat. Bernardus alam cineream attulit, ad quam cerebri partem fibrillae nervi vagi pertinentes visae essent, quod sibi persuasisse videbatur, nervos, qui saccharo praesint, in vago ipso contineri. Wagner autem et Schrader locum non in ala cinerea invenerunt, sed paululum ab alae illius fine anteriori. Jam Lehmannus interdum diabeten genuit, quod ictum ab ala cinerea in pontem vel in crura cerebelli ad pontem duxit, Uhle, si ictus non accurate in media ventriculi linea confluebat. Quod autem ad explicationem hujus admirabilis symptomatis attinet, constat, secretionem sacchari urina ea in causa positam esse, quod in sanguine nimis accumularetur. Secernitur enim semper per renes saccharum, ubi primum plus ejusdem materiae in sanguine fuit, quam 0,5%, id quod physiologiae auctores nobis

demonstrarunt. Unde vero saccharum in sanguine accumulatur? Pertinetne id ad auctam conformationem aut deminutam oxydationem? Quae quaestio ita determinata est, ut probatum sit, si saccharum in urina conspiciatur, causam ejus rei ad auctam conformationem in hepate referendam esse.

Schiff enim vidit, diabeten deesse, si, antequam piqûre (hoc enim nomine significat Bernard illam ventriculi cerebri quarti laesionem) perfecisset, ranis hepatis vasa ligatura obstruxisset. Si denique medii nec in alterius favorem inclinati esse volumus, concedendum est nobis, ultimam quidem diabetae causam adhuc ignotam esse, sed paulatim res et exempla ita conjunctum iri, ut meliorem hujus morbi scientiam fore sperandum sit.

AETIOLOGIA.

Quemadmodum veram diabetae melliti rationem et naturam nescimus, ita adhuc etiam hujus morbi aetiologia plane obscura est. In nonnullis tantum cerebri affectionibus laesiones sine ulla dubitatione cum morbi causis conjungere possumus. Nam si in casu quodam, quem Guy nobis retulit, in infante quodam statim post fracturam cranii basis diabetes apparuit, sine dubio laesionem cerebri causam morbi afferre possumus, nec minus causam novimus, si in viro illico post centralem apoplexiam saccharum in urina conspectum est. Sed his raris casibus exceptis morbi ratio adhuc obscuritate involuta est.

Ex libris illis, quos viri nostri celeberrimi summo studio pathogenesin morbi in tenebris jacentem in lucem proferendi inflammati conscripserunt, in quibus de hujus morbi natura laboris et sapientiae plenissimae disquisitiones depositae sunt, fidem habere possumus his momentis aetiologicis:

I. Res ad coeli naturam pertinentes.

In calidioribus zonis morbus frequentior esse videtur, quam frigidioribus; attamen in his decursus infelicior esse dicitur.

II. Sexus.

In viris morbus multo frequentior est, quam in feminis, ita ut ratio sit 3 : 1.

III. Aetas.

In primis aetatis temporibus et in senectute morbus raro invenitur; in flore aetatis aegrotant feminae inter X et XXX, viri inter XXX et XL annum.

IV. Hereditas.

Hereditati quoque aliquantum momenti tribuendum esse videtur, si auctores nostros sequi volumus.

Praeter haec momenta causae concitantes hujus morbi cognitae sunt laesiones, degenerationes, neoplasmata cerebri cujuslibet generis, inflammationes ependymatis cerebri ventriculi quarti. Deinde psychicae affectiones, ut timor et luctus, praeterea nimia animi contentio. Etiam Abeille auctore in aliis nervorum morbis, ut hysteria et epilepsia, causam diabetae quaerere possumus. Praeter cerebri laesiones hepatis regionis laesiones diabeten gignunt et totius corporis conquassationes haud minoris momenti esse dicuntur, quam cujuslibet generis perfrictiones.

ANATOMIA PATHOLOGICA.

Sectiones hominum diabete mellito mortuorum eae sunt in plurimis casibus, ut non certae hujus morbi origines appareant. Mutationes pathologico-anatomicae, quas invenimus, quaeque varii generis esse possunt, sunt maximam partem ad morbos secundarios vel complicationes referendae. Vulgo corpus extrema macie est consumptum, cutis furunculis, carbunculis, gangraenosis destructionibus obsita, pulmo plerumque tuberculis et cavernis abundat. Hepar et renes haud raro hyperaemici, pancreas saepissime atrophicum reperta sunt; vesica major, quam alias, ejusque tunica muscularis hypertrophica.

Non minus reliquis organis cerebrum constantes nobis praebet mutationes, interdum videmus tumores, tum syphiliticae, tum alius originis, haemorhagias, emollitiones, abscessus, indurationes. Alias cerebrum plane intactum nobis videtur.

SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Si illud acciderit, ut aegrotus aliquis ad nos veniat dicatque, se ingentem urinae copiam secernere, aliis molestiis omissis illico de diabete cogitabimus. Duo tantum morbi sunt, in quibus hoc symptoma solum ad morbum cognoscendum maximi ponderis est, paene dixerim, diagnosin jam constituit, polyuria vel diabetes insipidus et diabetes mellitus; neque inter hos ipsos discrimen difficile est, quamvis uterque in multis symptomatibus eandem speciem praebeat. Cum enim urina in diabete insipido mirum in modum levis sit, si quidem in eo aquosae partes ita modum normalem excedere possunt, ut pondas specificum in 1001 deminutum sit, in diabete mellito urinam magni ponderis specifici reperimus ad 1050, quin etiam usque ad 1070, quae res eo referenda est, quod firmae materiae auctae sunt et saccharum extitit. Illud scito: ubi saccharum conspexisti, diabeten mellitum adesse pro certo habeto. Ipse gustus urinae secretae subdulcis in plurimis casibus diagnosin sine ulla dubitatione constituit. Quam tamen ut certo instituere possimus, ad eas rationes confugiemus, quae saccharificationem in urina esse satis probant, dico chemicas analyses. Etenim temporum decursu magnus chemicarum analysium, quae ad hanc rem pertinent, numerus repertus est, quarum mihi

nonnullas tantum gravissimas et usitatissimas afferre liceat. Urinae enim quantitate calefacta, ad quam natron causticum solutum adjectum est, liquor, qui antea dilucidus fuit, primum fusco colore tinguitur, deinde rubro et odorem sacchari adusti accipit. Adpositis vero ad diabetae urinam oxydati Bismuthi nonnullis guttis nigrum Bismuthi oxydulati sedimentum apparet. Insuper affero methodum Trommerianam.

Miscetur urinae quantitas cum guttis nonnullis solutionis cupri sulphurici oxydati haud ita concentratae, deinde cum solutione Kali vel natri caustici; tum sequitur color valde caeruleus mixturae sine sedimento, si saccharum adest, quae mixtura si nonnullas horas intacta manet vel calefit, conformatur flavum aut rubrum sedimentum cupri sulphurici oxydulati. Jam vero polarisationis apparatus adhiberi potest, in qua planicies dextram versus convertitur. Praeterea fermentationis experimentum nobis in promptu est. Quod nititur cognitione, urinam diabeticam fermento quodam apposito non aliter se habere ac saccharum ejusdem copiae aqua solutum, id est, ambo liquores fermentatione in ejusdem alkoholis et accidi carbonici copiam commutantur. Quodsi ad cognoscendum morbum qualitativa, quae dicitur, sacchari constitutio necessaria est, morbo procedente quantitativa unum et solum remedium est, quo remissiones et acerbationes diabetae dijudicantur. Hoc autem est vulgare experimentum a

Fehling inventum.

Nititur ea re, quod saccharum uvarum ex solutionibus cupri oxydati alcalicis cuprum oxydulatum secernit. Quodsi constat, quantum cupri solutione cupri sulfurici oxydati, acidi kali tartarici natri et natri hydrici soluti contineatur, si investigamus, quantum sacchari solutionis, qua quantum sacchari contineatur non liquet, necessarium sit, ut ex cupri solutione accurate omne cuprum oxydatum in cuprum oxydulatum commutetur, quantitatem sacchari constituere possumus. Hoc experimento illud probatum est, intra 24 horas 1 ℔ sacchari eoque plus secerni. Attamen saccharificatio multis mutationibus subjecta est. Saepius remissiones existere videmus, neque aegrotos ad valetudinem redituros sperandum est. Paullo enim post ad stadium, quo ante utebantur, redeunt. Non minus intelligi potest, decursum diabetae a majore minoreve sacchari secretione pendere. Secretio si est profusa, mane jam cachexia accidit et aegrotus marasmo consumitur. Sin tamen sacchari copia haud ita magna est, aegrotus multos per annos vitam degere potest. Praeter sacchari copiam urina etiam alias solidas materias auctas habet. Inventum est pondus specificum ad 1050, quin etiam 1070. Ita ex Martini Solonis disquisitionibus urina mane secreta summum quidem pondus specificum, sed nequaquam summam sacchari copiam continere dicitur, id quod haud scio an ab

urinae majore secretione et salium acidi urici pendeat. Albumen in diabetae urina non est inventum, nisi si morbus in stadium ultimum pervenerat, quo in stadio saepius diabetes morbum Brightii socium sibi adjungit. Ad sacchari secretionem accedunt etiam multa alia magni momenti symptomata. Cutis diabetae mirabiliter sicca et dura est. Quae res facile intelligitur deminuta cutis glandularum secretione, quae ipsa in profusis secretionibus per renes posita est. Sudores, qui procedente morbo existunt, saccharum continent. Eandem causam, quam deminuta cutis secretio, habent etiam fauces siccae in diabete. Qua in re aegroti intolerabili siti cruciantur, qui tum demum illico evanescit, si in superiore stadio apta vivendi ratione sacchari secretio per urinam vehementer reducitur. Dentes fiunt cariosi. Mutatione liquoris oris saccharum continentis conformatur acidum lactis, quo totus liquor acidam reactionem accipit, quod acidum dentes destruit. Non minus dentibus etiam oris membrana mucosa sedes inflammationum est. Aliud autem memoria dignum diabetae symptoma est oculi lentis turbatio, quae haud raro existit. Ac primum quidem tumescit et turbatur capsula lenticularis, qui processus paullatim in medium progreditur. Haud scio an haec eadem lentis affectio ingenti aquae secretione nitatur. Ex Kundii et Wohnhornii experimentis, quae artificiosa aquae ademptione in ranis lentis turbationem

gignebant, consentaneum mihi videtur, cataractas in diabete frequenter apparentes ad ingentem aquae secretionem referendos esse. Non minus quam ingenti site aegroti intolerabili fame vexantur. Et tamen admirabile est, aegrotos, quamvis alimenta frequenter et immoderate accipiant, tamen paulatim macescere, quae res inde tantum intelligi potest, quod ea ipsa alimenta tractus intestinalis secretis non assimilantur vel vitiosas mutationes accipiunt. Cum hac macie, quae vulgo parvo temporis spatio confecto magis magisque augetur, deminutio omnium organismi virium conjuncta est. Aegroti imbecillos se sentiunt, levissimis negotiis impares. Fiunt animo demisso, laetus animus evanescit. Debilitas et obdormiscendi ratio in membris dominantur, inquieti et anxii animi affectus invadunt aegrotum. In feminis menses primum irregulares fiunt, deinde plane intermittuntur. In viris fere semper jactura potentiae animadvertitur. Praeter istam conjecturam, hoc symptoma positum esse in debilitate illa totius corporis, quae mox vel posterius existit in diabete, alia hypothesis allata est. Acceptum enim est, seminis secretionem subsistere propter aquae inopiam vel ideo, quod semen saccharum contineat, quo nervi impotentes redderentur ad semen praeparandum. Ventriculi digestio vulgo optima est, symptomata dyspepsiae nonnisi in extremo diabetae stadio existunt. Sedes saepe retardatae sunt, interdum normales, im-

primis apta vivendi ratione adhibita et demum in stadio provecto aliquoties sedes diarrhoicae animadvertuntur. Febris deest, item circulationis disturbationes et dyspnoea, quae symptomata tum demum accidunt, quum pulmonum affectiones cum diabete complicantur. Decursus diabetae plerumque chronicus est. In plurimis casibus multos annos continuos obdurat. Ex nuntiis, quem plerique summi auctores nobis retulerunt, pauca exempla notata sunt, ubi diabetes acutum, qui dicitur, decursum habuit. Non minus, quam diabetes acute procedit, per totum tempus solus per se manet. Maximam partem videmus gravissimas affectiones aliorum organorum existere, quae vehementiores sunt, quam diabetes ipse, quae ut praecaveantur vel, quum extiterunt, amoveantur, medico imprimis videndum est. Creberrimam sedem affectionis pulmonem conspicimus, in quo vulgo tuberculosa degeneratio locum suum occupat. Hic conformantur deinde brevi tempore magnae destructiones, quae vitae grave periculum inferunt, ut coacti simus curationem tuberculosis, quacunque est vulgo ancipiti prognosi, omnibus aliis rebus anteponere. Praeter tuberculosin etiam pleuropneumoniae vel bronchopneumoniae existunt. Contra in aliis aegrotis destructiones gangraenosae cujuslibet generis reperiuntur, ante omnia furunculi, carbunculi, decubitus, gangraena spontanea extremitatum pulmonum gangraena etc.

Porro minus periculosae, quam molestae complicationes phimoses sunt in glande et praeputio vel in feminis excoriationes circum orificium urethrae externum, quae haud scio an his locis urina saccharum continente allutis innatae sint. Denique mihi liceat rarae quidem, sed periculosissimae complicationis mentionem facere. Dico albuminuriam, quae tamen, ut jam supra dixi, ultimo in stadio accedere consuevit. Albuminura posita est in nephritide chronica parenchymatosa, cujus origo facile inde intelligitur, quod renis irritatione diuturna et vehementi secreti saccharum continentis in illum affectione incidit.

PROGNOSIS.

Prognosis fere semper anceps est. Frerichs noster, qui paucis ante diebus in clinico suo exemplum diabetae nobis proposuit, his fere verbis de prognosi usus est. Ipsum quidem vidisse, remissiones in aliquod tempus accidisse, nunquam autem urinae saccharum plane defuisse, nedum a diabete aegroti plane consanuisse. Sacchari secreti copia, si est minima vacatque diabetes complicationibus, aegroti per longum vitam degere possunt. Pessime autem se habet prognosis, si magna est sacchari copia et aegrotus celeriter macescit. Celerrime malae complicationes, gangraena et renum affectiones, mortem efficiunt.

THERAPIA.

Quemadmodum diabetae melliti aetiologia obscura fuit, ita etiam therapia ejus maximam partem incerta est. Plurimis in casibus mutationes organismi nescimus, quibus occurrendum est nobis, ut morbum curemus, neque adhuc ullum remedium curandique rationem tenemus, qua ad certum quendam eventum pervenire possimus. Sin autem unum ex illis momentis videamus, quae frequenter diabetae antecedere compertum est, quaeque ideo causae hujus morbi haberi possunt, nostrum est, ea tollere, quamquam his sublatis nunquam morbum plane sanatum iri pro certo habere possumus. Quae omnia damna tam crebro ad organismum vim habent neque diabeten procreant, ut quaestio relinquatur, eisne tantum tribuendum sit, ut morbum istum provocare possint. Attamen imprimis ad omnes cerebri laesiones respicere debemus. Ita si tumores cerebri syphiliticos conspiciamus, antisyphiliticam adhibebimus et Kali jodati auxilio tumores tollere conabimur. Ubi autem Frommaticam cerebri laesionem praecipue quarti ventriculi habemus vel inflammationem ependymatis ventriculi causam morbi afferre possumus, severam antiphlogosin inducere nostrum est. Non ita minoris momenti ad hunc morbum excitandum psychicae affectiones omnis generis mihi videntur, in quibus metus et luctus et nimia animi intentio primum locum occupant; quare in his

casibus psychica curatio necessaria est. Hujus generis aegroti celerrime domicilium commutent abstrahanturque, qua assuefacti sunt, opera et labore. Jucunditates cujuslibet generis eis concedantur rebusque minus animum intendentibus occupentur. Hysteria et epilepsia, quae Abeille auctore item diabeten procreare posse dicuntur, principiis ad hunc morbum consentaneis tractentur. Non minorem vim, quam hae cerebri affectiones, laesiones regionis hepaticae et totius corporis conquassationes habent, quae eaedem severa antiphlogosi tractandae sunt. Ubi vehemens perfrictio causam diabetae attulit, ibi primum curatio diaphoretica tentanda est. Quod ad eos casus attinet, qui hereditate nituntur quorumque nullam causam reperire possumus neque aetiologia certi quiddam praebet, quod sequamur, eam curationem adhibere cogimur, ut molestis symptomatibus, quibus forsitan aegroti vexantur, tollendis operam demus. Curatio, quae in diabete curando maxima pollicetur, diaeta bene et apte regulanda potita est. Nam, uti jam vidimus, aegroti intolerabili siti fameque cruciantur ideoque eo magis medicus cavere debet, ne qua alimenta damnosa recipiantur, quippe quae in quantitatibus ingentibus, quae consumuntur, eo majus periculum diabeticis afferrent. Prioribus temporibus putabatur est, saccharum tam frequenter secretum ea re replendum esse, ut sacchari vel amylum continentium

alimentorum subvectio augeretur; sed tantum abest, ut hac re aliquid perfectum sit, ut res plane aliter, ac putabatur, evenerit. Auctores, qui in diabetae natura evolvenda operam consumebant, docuerunt, necessarium esse, ut aegroti alimenta saccharum et amylum continentia accipere vetentur. Quare optimum esset, si aegrotis haec damnosa alimenta plane adimerentur. Sed hoc non diu fieri posse dolendum est. Pauci aegroti sunt, qui diu ademptionem amylaceorum ferre possunt; quapropter hac in re cauti providique esse debemus, nisi forte timendum est, ne aegroti post brevius vel longius tempus, quia diu alimentis, quae interdicta erant, desideratis caruerunt, immoderate ea captare conentur. Quod ut vitemus, concedatur aegrotis parva amylaceorum copia neque alii iis nisi cibi ex carne parati prabeantur.

Deinde Bouchardato auctore hos cibos accipere jubeantur (Niemeyer Path. 2, p. 77): „Alle Arten von Fleisch, gebraten, gesotten, selbst mit piquanten Gewürzen, aber nicht mit Mehl zubereitet, Süsswasser- und Seefische, bei denen das Bedürfniss nach Brot sich weniger fühlbar macht, als bei Fleischspeisen, Austern, Muscheln, Hummern, Krebse etc., Eier in allen Zubereitungen, die die Kochkunst kennt — keine Milch wegen des darin enthaltenen Milchzuckers, aber guter Rahm — von Gemüsen Spinat, Artischokken, Spargel, grüne Bohnen und die verschiedenen Kohl-

arten, von Salaten Brunnenkresse, Endivien, Kopf- und Feldsalate, von Obstarten Erdbeeren und Pfirsiche."

Atque haec hactenus de cibis.

Quod ad potus pertinet, etiam hic nostrum est, aegrotis praecepta accuratiora edere. Quamquam deminuta potuum subvectione copia sacchari in urina minuitur, quum in frequentiore subvectione aucta videatur. Attamen his rebus in praxi nos satis uti non posse dolendum est. Sacchari copia tum demum minuitur, si aegrotis adeo potus adimitur, ut generalis valetudo infirma vehementi siti nascatur. Admoneantur igitur aegroti, ut tantum bibant, quantum ad sitim tolerandam necessarium est. In deligendis potibus omnes, qui saccharum continent, vetandi sunt, et commendentur praeter aquam fontanam imprimis saturationes, coffea, cerevisia amara et fermentatione bene parata, vinum haud ita recenti aetate; attamen in his duobus potibus etiam aliud quoddam respiciendum est, illud scilicet, quantum alcoholis contineant. Quo percepto copia sacchari in urina augetur; quare in his potibus praebendis cauti esse debemus. Cerevisiarum igitur eae optime commendandae sunt, quae abundant materiis amaris, sed carent alcohole, cum sint refutandae eae, quibus inest permultum acidi carbonici atque alcoholis, ut Porter, Ale, Gruenthaler, Josti etc. Inter vina idem delectus habendus est; quare saccharum et alcoholem continentia vina, sicuti plurima italica,

graeca, nonnulla francogallica, diligenter vitanda erunt. Commendanda sunt vina et Rhenana et Mosellana; optimum est vinum leve rubrum et illud vini genus, cui nomen est Bordeaux. Praeter curationem diabeticam non omittendum est, praecepta hygienica aegrotis edere. Aegroti hujusmodi minime ferre possunt temperaturae vicissitudines ideoque saepissime perfrictionibus objecti sunt. Quare optandum videtur, eos semper a capite ad pedes calide vestitos esse. Ut cutis functiones etiam magis adjuventur, balneae calidae eis commendantur apto anni tempore. Robustis adhuc aegrotis etiam balneae marinae, si caute adhibentur, non minori utilitati sunt. Hac in re motus regulares in aura frigida expediunt, magnae intentiones autem, quae eos defatigant, vitandae sunt. Quoniam res docuit, diabeten mellitum in inferioribus climatibus non ea intensitate esse, qua in frigidis regionibus, divites aegrotos ad regiones meridionales mittere possumus. Ex medicamentis multa celebrata sunt, quorum basin nescimus, sed ipse magnus eorum numerus aperte pravitatem singulorum ostendit. Non igitur medicamenta remedia hujus morbi intuenda sunt, quae modo prospere cedebant, modo nos plane fallebant, sed ea tantum afferenda sunt, quae communi magnorum virorum judicio, quod accuratis chemicis urinae disquisitionibus nititur, magni ponderis sunt quoad diabetae decursum.

Ut igitur accurate perspicere possimus, quam vim habeant medicamenta, necessarium est, diminutionem sacchari et urinae secretiones diligenter intueri, non tam eo, quo adhibentur, quam eo, quo intermittuntur, tempore; tum demum, qua sit utilitate, judicare possumus. Primum horum remediorum locum obtineant calia acida carb., aquae salubres, inprimis thermae Carolinenses et Vichyenses. Quamobrem, si nobis cum ditioribus aegrotis res est, ut haec loca petant, eis suadebimus, quum minus ditioribus sal Carolinense artificiale apte praebeatur. Aliter adhibetur natron carbonicum acidulum vel cali carbonicum vel natron bicarbonicum. Qua ratione hoc remedium in diabeten vim habeat, nondum satis certe constitui potest: verisimillimum autem est, effectum therapeuticum hujus remedii ad functionem hepatis referendam esse. Qualis utilitas sit natri bicarbonici in diabete curando, experimentum, quo ictus diabeticus, qui dicitur, hunc morbum non excitavit, si antea injectio natri bicarbonici in sanguinem facta erat, haud minoris momenti physiologico argumento comprobat. Haec remedia sola ea sunt, quae in diabete sanando prodesse satis constat, cum de omnibus aliis, ut de baccis juniperi, floribus sulphuricis, adhuc nihil certi teneamus. In exigua nostra morbi naturae et specificorum remediorum cognitione tractatio symptomatica maximi momenti est. Non enim illud spectare potest medicus, ut valetudinem

plane restituat, sed ut, id quod solum effici potest, damna, quae morbi processum in pejus vertunt, tollat et molestias, quibus premuntur, allevet. Haec sunt maximi momenti praecepta, quae sequenda sunt, si aegroto vitam sublevare mortemque non vitandam quam maxime remorari volumus. Symptoma, quod maxime torquet, perpetua sitis et fames est, ad quod impugnandam usus narcoticorum, opium, morphium, aptissima sunt.

Vitiosa enim nervorum sensibilium incitatio his rebus deminuitur aegrotique melius se habent; etiam liquorum subvectio, quae hinc originem ducit, deminuta copia urinae non mediocriter imminuitur. Etiam alia indicatio ad opium vel morphium adhibendam constitui potest. Cum enim ex Bernardi experimentis nervorum incitationem in diabeten artificiosum vim habere probatum sit, haud scio an haec narcotica recta et vera hujus morbi remedia haberi possint. Sed utrum hoc in genere tantopere prosint necne, judicare non possumus, quum hac de re sententiae nondum inter se consentiant. Non tamen aegroti in adhibendo opio incauti esse debent, quum nimis diuturnus opii usus in totum organismum reactionem malam habeat, ita ut usu tantum comprobatum sit, cum hujus organi affectionibus diabeten tam saepe complicari. Ex opera aucta, quae in diabete a tractu intestinali poscitur, hic ipse facile affectionibus irritabilibus subjectus est, quae

in aegrotis propter digestionem minorem valde augentur. Ut igitur haec organismi pars intacta maneat, medico vigilandum est. Bonum est, si catarrhi intestinalis imminentis vestigia appareant, tonica amara adhibere potusque praebere ex trifoliis fibr. vel radice gentianae vel ligno quassiae. Turbationes, si quae sint in defaecatione, tollere conabimur aut opio, argento nitrico etc. aut evacuantibus mitibus et salinis. Deinde pulmones non sunt negligendi. Hoc enim est illud organum, quod tractu intestinali excepto saepissime procedente diabete inflammationibus afficitur. Utrum pulmones cum loco affectionis in diabete cohaereant, adhuc sectionibus nondum constitutum est. Quare ad hoc organum omnem diligentiam adhiberi par est, inflammationesque, si quae acciderint, magna cautione tractandae sunt. Severa antiphlogosis plerumque in curatione pneumoniarum in posterioribus stadiis apparentium non jam est indicata, praebeantur doses haud ita magnae tartari stibiati et vesicatoria. Quae omnes affectiones suspiciose contemplandae sunt, quum plerumque caseosas et tuberculosas degenerationes efficiant.

Etiamsi haec singula organa, quibus periculum imminet, respicimus, nihilo secius in totius corporis constitutionem vigilanter inquirere debemus et cachexiam, quae diabete procedente existere solet, ne aegrotos invadat, cavendum est. Hunc ad finem imprimis oleum Jec. Aselli et alia pingnia adhibemus, quod et ad or-

ganismi nutritionem summi est momenti, optimeque tuberculosin jam imminentem tollere potest. Ob eandem causam, ut status generalis in melius vertatur, Leberto auctore, et imprimis in stadiis magis provectis ferro utendum est, quo, sanguinis mixtura in melius refecta, vires aegroti augentur. Porro si eundem auctorem sequimur, ferro adhibito in parvum tempus sacchari secretio diminuitur, id quod eo certius evenit, si conjunguntur cum ferro tonica amara, vel cortex Chinae. Severe sequendo, quas supra attuli, indicationes et accurate observatis momentis, quae in diabetae therapia nobis observanda sunt, illud quidem forsitan continget, miseris aegrotis vitam producere et tolerabiliorem reddere, sed plane eis mederi, nedum morbos secundarios, ut tuberculosin, nephritiden etc., refutare non est in nostra potestate.

VITA.

Natus sum Carolus Streppel in vico Rhenano praepe Colonias Agrippinas sito Witschelden anno MDCCCXLII die XVIII mensis Octobris, patre Carolo, matre Friderica e gente Lausberg. Matrem morte abreptam maxime lugeo semperque lugebo, patrem Deus optimus maximus vivum adhuc mihi servavit, servetque peto perdiu in posterum. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis domi imbutus ab anno h. s. LVIII usque ad LXIII gymnasium Duisburgense frequentavi. Testimonio maturitatis academicae instructus, Gryphiam me contuli, ubi in cives universitatis Gryphiswaldensis academicos a rectore magnifico Bardeleben receptus, apud Budge, medicorum ordinis Decanum spectatissimum, nomen professus sum. Ibi duo semestria versatus, Bonnam petii ibique a rectore doctissimo Argelander in cives academicos receptus sum. Inde, postquam per unum annum scholis interfui, Berolinum contendi, ut in hac alma litterarum sede studia medica continuarem, Ill. Braun inter cives academicos, Ill. de Langenbeck in album medicinae studiosorum me recepit.

Magistros audivi:

Gryphiae: Ill. Budge, liberum baronem de Feilitzsch, Limpricht, Schulze, Landois.

Bonnae: Ill. M. Schulze, Pflueger, M. J. Weber, de la Valette, St. George.

Berolini: Ill. Virchow, Schoeller, Traube, Juengken, Frerichs, Martin.

Quibus viris summopere de me meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Jam vero tentaminibus et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Fasciam gypseam praestantissimum fracturas sanandi remedium esse.
2. Diagnosin differentialem typhi abdominalis et exanthematici interdum difficillimam esse.
3. Dolores parturiendi infirmos solos non esse indicationem forcipis applicandae.